





14

Pri. 7. num. 20. 2. 2. 84. 29

1726, 1

20

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA  
DE  
**PROBATIONE  
DOMINII**  
PRÆSERTIM IN SAXONIA ELECT.  
HAVD DIFFICILI.

QVAM  
MAGNIFICO RECTORE UNIVERSITATIS  
AC PRO-CANCELLARIO,  
REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,  
DOMINO

**CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GVDENVS, J.V.D.**

DENOMINATO CONFIRMATO ET PROXIME CONSECRANDO SVFRAGANEO  
ERFORDIensi ET EPISCOPO ANEMORIensi, INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV.  
CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECT. MO-

GVNT. CONSIL. ECCLESIAST. ET REL.

EX DECRETO AVTORITATE ET SINGVLARI INDVLTV  
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS.

IN PERANTIQVA ATQVE CELEBERRIMA ACADEMIA  
ERFORDIensi

**PRO LICENTIA**

SVMMOS IN VTROQVE JURE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI  
DIE XXXI. MAJIA. R. S. M DCC XXVI.  
HORIS LOCOQVE CONSVENTIS  
IN PVBLICO ERVDITORVM CONSESSV

DEFENDET  
AVTOR

**GEORG AVGUSTVS DATHE,**

Leucopetr. Mish.



ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

*D. L. Koenfrieff. Prolego.  
Dat 1726.*

BESTE SACHENANDERU  
PRODUCTIONE  
GODINNIGE  
PRESERTUM IS AXOMANATHECTE

CHRISTIANOGROGEWALD  
PER GABRIELZ ZU DIE

YET DECIMU NATUR EST MAGNAHANDUTA  
IN HELLATOU AND THE REVOLUMENT  
PRO FICHENTIA

UNIVERSITY SCHOLAYU NATURALULTRA  
SCHOLAYU PROFESSORUALULTRA  
SCHOLAYU CONFERENCEULTRA

GEORG VAGELTAS DATHE

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
DOMINO  
**CHRISTIANO,**  
DVCI SAXONIÆ,  
JVLIA CI, CLIVIÆ, MONTIVM, AN-  
GARIÆ ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO  
THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, SVPE-  
RIORIS ET INFERIORIS LVSATIÆ, PRINCIPI  
COMITI HENNEBERGIÆ, COMITI MARCHIÆ  
RAVENSBERGÆ ET BARBY, DYNASTÆ  
RAVENSTEINII,  
**PRINCIPI AC DOMINO MEO**  
**CLEMENTISSIMO**

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINO

CHRISTIANO

DACI SAXONIAE

JALACI CLAVIA MONTIA AN  
CARRAE ET AESTRHAIE LANDGRAVIO  
THURINGIE MARCIIONI MISNE SAHE  
RIORIS ET INFERIORIS LASAIE PRINCIPI  
COMITI HENNEBERGIE COMITI MARCII  
KAVENSBERGIE ET BARBY DUCATI

**S**ummo ducitur laudi JOHANNI GEORGIO  
I. Electori Saxoniæ, cuius memoria in-  
ter Saxones viget vigebitque perennis,  
quod nonnisi tum, cum paria fecerit negotiis  
Electoratus, gratissimum illud & Principibus  
proprium remissionis genus, venationem, exer-  
cuerit, ut nullum aliud amoenius ipsi fuisse  
per-

perhabeatur. Illum utique PISSIME PRINCI-  
PVM imitari videris, dum ipsum, quod Rei-  
publicæ dandum non est tempus, uti das præ  
omnibus, eundo in saltus absumere atque aut  
premere equo cervum æripedem, aut apro ful-  
mineo congredi, & occupare irruentem ferro,  
sic cum nobilissimis bestiis nunc agilitate vi-  
rium, nunc fortitudine haud aliter contende-  
re sueveris ac si otii TVI oblectatio sine sudore  
constare haud posset, & recreationis haberet  
instar laboris cum labore mutationem. De-  
cantatissimæ procul dubio Heroum veterum  
disciplinæ reddis, PRINCIPVM DECVS, fidem, qui  
delicatam omnem cessationem non remissio-  
nem ac otium, sed effeminatam potius mol-  
litiem turpemque desidiam dicebant. Miran-  
tur istud in TE, PROVIDENTISSIME PRINCI-  
PVM, omnes ac recte mirantur, quod à pri-  
mo jubaris ortu hisce & illis tamen potissimum  
vaces laboribus, quos Serenissimæ domus  
& subditorum meritò sibi vindicat salus.

Nec

Nec ita pridem SERENISSIME PRINCEPS, è re  
fuit visum TIBI iis me adjungere, qui subal-  
ternam illius gerunt curam; & devota fide-  
lisque mens id jure à me postulavit, ut AV-  
GVSTO potissimum CELSISSIMOQVE NOMINI  
TVO Dissertationem hanc dicarem Inaugura-  
lem; quam si Serena fronte accipias, facies  
ut læto magis animo indefessoque studio de-  
mandato mibi jam defungar officio. Hac ni-  
tor spe, hac suffulcior fiducia; sic, MAGNE  
PRINCEPS, tutissimum mei meorumque PRÆ-  
SIDIVM enixe voveo, sic, puto, licebit, ut ad se-  
ros usque annos dicar

## SERENISSIME PRINCEPS

subiectissimus Tibi humillimusque  
servus

Dab. Erfurti d. 29. Maii  
MDCCXXVI.

GEORG AVGUSTVS DATHE.



## PROÆMIVM.



Pecimen inaugurale jam meditanti  
& satis in feligendo themate titu-  
banti, me quippe haud ignaro,  
quanta in omni jurisprudentiae  
parte Dissertationum extet co-  
pia, obtulit se potissimum de do-  
minii probatione materia, DD.  
alias difficillima imo diabolica dicta. Nimirum argu-  
mento huic utili non minus ac necessario occasiōnem  
dedit casus quidem specialis, ut cum Practicis loqui li-  
ceat, me Patrono im Hoch-Gräfl. Hoymischen Amte  
Droyßig, ventilatus & ad finem jam feliciter perdu-  
ctus, sed tamen modo dominium probandi Electora-  
tui Saxonico proprio non inhærendum, quin id potius  
agendum putavi, ut ex Jure quoque Civili ostendam  
singularia quædam ad dominii probationem spectan-  
tia. Esto ergo thema: *De probatione dominii pre-  
sertim in Saxonia Electorali haud difficili;* quod quidem  
in cathedra nondum fuit, credo, excussum. Opta-  
rem,

rem & per quam optarem, ut tempus omne ipsis jam rerum argumentis, Praxi videlicet sacrum, impendendum mihi esset themati huic elaborando, & darem operam, ut materiam dicendi uberrimam non relinquerem inexhaustam. Sed coarctandum illud est, cum practicus labor id serio satis a me exigat, & temporis ratio dissertationem hanc properante calamo velit conficiendam. Distincte saltim ex methodo, quae semper mihi utilis visa fuit, proponenda sunt, quae ut a me exponantur, licebit. Includam ergo, quicquid sit pro ingenii modulo, tribus Capitibus, quorum Primum Generalia quædam circa dominium & probationem delibabit; Secundum specialia de Dominio, modisque illud probandi haud difficilibus sistet; Tertium denique specialissima, de probatione dominii in Elect. Saxon. haud difficulti, exponet. Intersit sumnum, quod humillimè veneneror Numen, labori & interruptis hisce meditationibus, faxitque ut omnia ex antiqua votorum formulâ cedant feliciter. Sic illum nec inutilem, nec adeo ingratum cuiquam fore, certus confido.

## Cap. I.

GENERALIA QVÆDAM CIRCA DOMINIVM ET  
PROBATIONEM DELIBAT.

## §. I.

Rationem  
methodi  
reddit.

**E**Quidem ipsum Dissertationis nostræ thema speciale, imo specialissimum est, sic supervacuum forsan posset videri, specialem tractationem generali miscere, sed vero, uti degustatis Generalibus ad specialia, & ab his ad specialissima methodice satis progredi posse, jam ante putavimus; ita expositis ipsis notionibus,

&amp;

& aliis ex Jure Nat. generalibus, licet fugitivo saltim calamo tactis ad specialem tractationem, aptiores descendimus.

### §. II.

Nobis proinde non est sermo de Dōminio, qua pro specie imperii in personam sumitur; Sic enim ad Jus Publis minium hic cum Universale spectat fac. l. 3. ff. de his qua intef. del. l. q. ff. intelligatur. de L. Rhad. de jact. nec de Dominio, qua norat jus illud superium, seu facultatem moralem, vi cuius Superior, seu summus Princeps, necessitate publica id exigente, & ubi adi est evidens Reipublicæ emolumentum rebus subditorum pro tuenda illa uti, vel nolentibus ipsis, potest; siquidem & hoc ad Jus publicum universale pertinet, cum quo quidem res nobis jam non est. Denorat ergo hic Dominium jus, quo res corporalis & singularis alicujus est propria, l. 23. & 56. ff. de rei vind.

### §. III.

Cujus quidem fundamentum hominis est in omnes fundamen-  
res creatas, animatas &que ac inanimatas jus a Deo datum cum ejus.  
prout non virtus solum humanae necessitati, sed & utilitati,  
quin immo commoditati inserviunt. Sic, rerum naturam  
omnes fructus, hominum gratia, comparasse, docet JCtus,  
in L. 28. ff. de usur. & fruct.

### §. IV.

Sed de origine Dominiorum non una est eademque Orig. DD. Jur. Nat. & Gent. opinio. Nobis ira placet, quod gentes, dum Dominiorum incertitudinem & communione primavam negavit, adactis praeferim hominibus, malorum plurimorum largam viderint matrem, ad stabilienda rite & assignanda cuique Domina pactum inierint, quod an universale fuerit, prout vult Puffendorfius, an vero ex mente Titii & Bynckershoekii particulare, nobis perinde est. Utique tamen sententia Puffendorfii ea videtur premi difficultate, quod partim multa ditionum Domina vi, expulsis scilicet & subactis

primis possessoribus, sicut constituta, migrationibus gentium id docentibus; partim, quod successive inter gentes Dominia rerum fuerint assignata & haec divisa.

## §. V.

**Pretium.** Constitutis jam Dominiis & communione primava eaque negativa nunc sublata medium naturaliter requiebat, ipsas res earumque Dominium singulare acquirendi. Id commerciis crescentibus, humano nempe genere satis adaugto eo magis necessarium erat, quod permutatione tum sufficere non amplius videbatur.

## §. VI.

**Quid & quo-** Hoc vero est pretium, seu quantitas moralis, rebus & duplex reuinis actionibus in commercium venientibus ideo imposita, ut illae inter se conferri & exaquiri possint. Dixi rebus & actionibus, cum commercia inter homines introducta nihil aliud sint, quam rerum & operarum, ad vitam humanam usum aptarum variae permutationes & ad necessitatem, luxuriam, mollemque vivendi rationem vigentes. Est illud vel Virtuale vel formale, idemque vel Vulgare, vel Eminens. Virtuale est assimilatio rei naturalis, pro excellentia ipsius facta. Formale vero est valor arbitrarius, rebus vel operis impositus, prout haec in vita communii necessaria & utiles sunt, vel ad voluptarem spectant. Pretium eminens numerus est, quippe qui rerum & operarum assimilationem virtualiter continere intelligitur. De quo quidem, cum in Jure Naturae uberioris dicatur, sufficiat haec, ex promisso, non nisi delibasse.

## §. VII.

**Officia.** Nec ultimo tamen loco officia Jur. Nat. circa dominia observanda plane mittimus. Nempe sunt illa vel Generalia, vel specialia, & fundantur generalibus Jur. Nat. praecipis de nemine laendo ac suum cuique tribuendo; consistunt vero in hoc, ne alium in dominio julte quaefito, imo & possessione rei sua turbemus, quin domino vero, si super venerit rem, quam iuste tenemus, restituamus. Cui obligationi naturali, cum plura addiderit, casusque distin-

xerit Jus Civile, id sibi familiare reddet, qui Jurisprudentia normam non solum Jus Naturale, sed Civile potissimum esse novit. proficiet tamen & officia naturale circa argumentum hoc non ignorare; sic enim quod pure civile est, ab eo, quod Naturale ab invicem probe distinguere, adeoque LL. etiam bene sapienterque interpretari licebit.

## §. VIII.

Progedimur ad Generalia de Probatione degustanda: Quis sensus  
Sumimus probationem hoc loco non respectu nostri, sed hic sit pro-  
respectu aliorum; Priori sensu dicimus probare, quæ ex  
mente nostra numeris suis sunt absoluta, prout Cicero,  
magnus ille Orator ejus dicit esse probationem, qui adi-  
ficat. Posteriori vero probatio idem est ac fidei factio ut  
juridice loquar sic ergo, cum de argumento in judicium  
ducto nobis sit sermo, probatio nihil aliud est, quam rei  
dubiae per argumenta apud judicem ostensio. arg. l. 4. C.  
de probat.

§. IX.

Eius prima omnium divisio, autore Aristotele L. I. Divisio.  
Rbet. c. 2. est in Artificialem, qua argumenta habet, *intervix*,  
& Inarrificalem, qua *intervix*; illa non nisi arte atque in-  
dustria probant ex ipsa causa & obvenientibus in qua-  
libet circumstantiis, cum facto variantibus apte & ratio-  
ne naturali deducuntur, quo sensu minima circum-  
stantia variare jus dicitur; haec vero extrinsecus per do-  
cumenta, testes immo etiam jureamenti delationem as-  
fumuntur. Habent argumenta *intervix* in causis potissimum  
criminalibus usum præstantissimum; nec tamen in causis  
civilibus negligenda; & vel in his vel in illis iustitia facer-  
dos eruditionem suam potissimum judici probabit aque  
ac clienti fidem.

§. X.

Licet etiam secunda probationis divisio in plenam & semiplenam ab omnibus non probetur, uti exemplo est Job. ubi VVissen-  
Continuat.  
Jac. bach notatur.

Jac. Wissenbach P. I. Disp. ad ff. 43. tb. 3. habet tamen, qui quid ibi obiciat magnus alias Jure Consultus Practicorum caleculum & in ipsis rerum argumentis usum maximum praebet. Esto enim, Leges Romanas divisionem hanc expresse non habere, quid inde! quasi omne, quod L.L. Romana non habent, esset inutile! omnis distinctio an proba sit ex fundamento suo & utilitate estimanda est, atqui vero probationis divisio in plenam & semiplenam nec fundamento defituitur, nec utilitate, Ergo est proba. Immo vero l. s. & 6. C. de probat. ubi Imperator plures probationes infirmas conjungi vult, ut demum per eas fides fiat judici saltim implicite differentiam hanc probationis largiuntur. Quid enim aliud sibi volunt probationes infirma, quam probationes minus plena, & si mavis, semiplenis minoris. Posito jam uno ponitur & alterum, quod Canon vult Metaphysicus, cui junge sis l. 31. ff. de Jurejur l. 3. C. de R. C. jam tempus, ut ulterius progrediar monet,

## CAP. II.

SPECIALIA DE DOMINIO, MODISQUE  
ILLVD PROBANDI HAVD DIFFI-  
CILIBVS SISTIT.

## §. I.

Exponit insti-  
tutum.

**A**bsit vero longissime, ut quamlibet dominii speciem exactius tradamus & quomodo hac illave probantur, intentio etiam probantis per articulos elisivos sustinenda sit, uberius exponamus; Sic namque ipsa Dissertatione nostra non Dissertation, sed Tractatus foret, tempus vero, terminis sane angustissimis inclusum & labori dicatum, plane non esset sufficiens. Sed erit norma dicendorum dominium acquirendi modorum ratio, quæ probationem ipsius dominii suggestit, ut hanc non difficultatem possimus ostendere.

## §. II.

## §. II.

Sunt modi adquirendi Dominium vel Originarii, vel Deri-<sup>Modi acq</sup>  
vativi, & illi rursus vel simpliciter, vel secundum quid tales. rendi domi-  
Modus adquirendi Dominium Originarius simpliciter talis nūm, quo-  
non est, nisi unus, occupatio rerum scilicet, si ex principiis <sup>tuplices</sup>

Jur. Nat. rem astimēnus, qua sub primāvam divisionem  
non venerunt, seu nullius, de quibus in L. 1. § 2. ff. de A.  
R. D. § 12. J. de R. D. dicitur, quod naturali Jure & Crea-  
tionis Lege, ratione infinita occupanti cedant. Immo cla-  
rius forsitan dici poterit, quod occupatio sit modus adqui-  
rendi dominium rerum in quibus dominium singulare ne-  
mini quāsūtum. Quamvis vero manet originarius domi-  
nium adquirendi modus, occupatio, sit etiam ex LL. Ro-  
manis talis, prout alleg, modo textus haud obscure evin-  
cunt; negandum tamen non est, Legem Civilem in qua-  
cunque provincia ex beneplacito cuiusvis Imperantis mul-  
ta addidisse, qua ex Jure Naturali ita comparata non erant,  
quod sola venatio docet. Sunt ergo tres Occupationis  
species, 1) venatio late dicta auecupium & pīficationem  
comprehendens 2) occupatio bellica 3) Inventio.

## §. III.

Jam si jus naturale permissivum circa occupatiō-<sup>Probatio</sup>  
nem restrictum non esset, utique probatio dominii per dominii per  
occupationem quāsūtum, difficilis haud foret. Sufficeret <sup>occupatiō-</sup>  
enim, solam probasse apprehensionem corporalem animo <sup>nem quāsūtum</sup>  
sibi habendi factam, ita ut res occupata momento tan-<sup>dē</sup>  
tum temporis in custodiā meā fuerit redacta. Quod  
si enim illa hanc post evaserit, & aliis eam rursus occu-  
paverit, obtineret regula: prior tempore, potior jure; im-  
mo res ita a me occupata non haberet amplius quali-  
tatem, ut ita loqui liceat, occupabilem, i. e. ut noviter  
possit occupari, cum dominium rei ante nullius singulare  
mihi jam fuerit quāsūtum nec prodesset alteri denuo oc-  
cupanti bona fides, qua in his terminis domino vero  
non nocet, nec auferre huic jus quāsūtum potest. Sed  
enim cum Lex Civilis cuiusvis provinciæ arcis satis limi-  
tibus,

B

tibus circumscripterit Occupationem, ejusve species, ut  
jam non ad Jus Naturale, sed ad voluntatem Legislatoris  
humani, ceu normam sanctissimam recurrendum sit, ope-  
ra pretium erit, huic potius quam illi diutius immorari.

## §. IV.

*Ampli. libell. - inquit Iustus - op. emend. - addit.*

Refutantur,  
qui occupa-  
tionem Jur.  
Nat permis-  
tam a summis  
Imperantibus  
restringi posse  
negant.

Ast impiam tamen illorum putamus sententiam, qui liber-  
tatem occupationis naturalem à summis Imperantibus juste  
restringi potuisse & hodiendum posse, nec principibus priva-  
tive vindicandam illam fuisse, vel plane abnegant, vel certe  
dubitant, quosque allegare jam supersedemus. Quis enim  
negabit, Legislatorem, sumimum Principem id, quod Juris  
Naturalis Permissiva est, pro ratione status Civilis libere  
definire posse! Jam vero occupationis Jura naturalia non  
nisi ad permissiva pertinent; utique ergo Legislator sum-  
mus Princeps occupationis Jura naturalia pro ratione sta-  
tus Civilis libere definire potest.

## §. V.

*Ulterius ad-  
struitur argu-  
mento.*

Et firmo, satis talo stare putamus argumentum nostrum,  
hac forsitan ratione magis stabiliendum: Si occupationis jura  
quilibet ex populo, durante scilicet statu naturali vindicare  
sibi potuit, & probato jam imperio civili potestas populo  
ante competens in Principem est translata, sequitur Imper-  
rium civile libertatem occupationis pristinam pro lubitu  
circumscribere potuisse; atqui verum est prius, ergo &  
posteriorius. Facit huc Jus Regium, à Samuele relatum, de  
quo variae sunt. DDr. sententia, à nobis hic, ne à scopo ni-  
mis longe recedamus, haud discutienda, facit & Lex Re-  
gia Romanorum, de quo *Vid. §. 6. J. de J. N. G. & C. l. i.*  
*§. 7. C. de veteri Jur. encl.*

## §. VI.

*Jactus missi-  
lium.*

Ultimus adquirendi dominium modus, & is originarius  
simpliciter talis est jactus missuum, seu apprehensio potius  
rei corporalis animo habendi in jactu actus facta & in po-  
testatem nostram vera redacta. Facto hoc perjuramentum,  
quod utique admittendum putamus, firmato, dominium  
sufficienter erit probatum, cum apprehensione statim fa-  
ctus

Etus fuerit Dominus, §. 45. J. de r. div. l. 9. §. 7. ff. de a. r. dom.  
immo furti reus erit, qui ex custodia actoris amoverit rem  
in jactu missum prehensam, quod dubio omni caret.

§. VII.

Modi acquirendi dominium originarii, secundum Accessiones.  
quid tales, nomine accessionum nobis veniunt, quæ  
vel naturales, vel artificiales, vel fortuitæ in Allu-  
vione, fructuum productione, formæ per industriam  
humanam inductione, & thesauri inventione consistunt.  
Circa illas Juris naturalis regula in hoc nifallimur, dicta-  
mine consistit: ut naturaliter ad ipsum rei corpus perti-  
neant etiam accessiones aliaque emolumenta, quæ vel  
ab illo salva substantia separari nequeunt, vel si possunt qui-  
dem, ex ipsa tamen re provenerunt. Lex civilis non muta-  
vit illud, recte tamen definivit; sane enim casibus singu-  
laribus hinc inde evenientibus generale, rationis dictamen  
vix videtur posse sufficere, cum aquitas hic ad certum ali-  
quod i. e. in omnium etiam rudium oculos incurrens  
principium regulativum ita reduci nequeat, ut quod unus  
æquum dicit & alter pro aquo necessario debeat agno-  
scere.

§. VIII.

Nec vero difficiles sunt dicti dominium acquirendi modi, Modi proban-  
ratione ipsius probationis. Si enim per alluvionem agro no- di dominium  
stro quid adjectum est, de quo alter controverfiam moveret, ex accessioni-  
sufficiet utique probasse: hunc ipsum agrum, vel si mavis  
partem agri per alluvionem quæ apte satis incrementum la- bus quæstuum  
tens dicitur in §. 20. J. de L. D. fundo nostro esse adjectum, & examinatur  
illumin ipsum esse de quo quæstio dominii movetur nec inter- a) in alluvio-  
rerit quidquam, si actor afferat, flumen id ex suo rapuisse,  
nescitur enim unde veniat, agro paulatim adjicitur, adeo- ne.  
que à nullo vindicari potest, per L. 7. §. 1. de a. r. d.

§. IX.

Fructus fundo cohærentes singularem Dominii probatio- b) & fructi-  
nem non exigunt; quia si ullius Dominium probavi, & fru- bus hinc quæ-  
etus naturaliter mei erunt. Ait separati, difficultatem pro- sitis.

B 2 batio-

bationis rursus non habebunt, siquidem probatum fuerit,  
esse hos ipsos fructus, qui ab hoc vel illo fundo sunt separati;  
quam fidem etiam juramento judici fieri posse, credo. Im-  
mo vero maturabitur maxime fructuum Dominii probatio  
per usucacionem in Saxonia nostra anno Saxonico perland.  
*R. l. 1. a. 8. L. 2. a. 44. iur. Leba. R. c. 16.* sic brevi ad modum  
temporis spatio absolvendam. Ceterum de ipsa fructuum  
adquisitione plenius hic agere a nostro abest institutu; id  
solum addimus, quod, cum circa adquisitionem fru-  
ctuum ex principiis civilibus inter judicium universale &  
singulare maxima sit differentia, id civile tantum sit in-  
ventum, Juri Naturali plane incognitum.

## ¶. X.

c) Specifica-  
tione.

Diximus §. 7. formæ per industriam humanam in-  
ductione Dominium originarie secundum quid adqui-  
ri & indigitavimus, quod dubium non est accessionem  
industrialem, cum de naturali jam dictum sit §. Li-  
quet vero ex §. 26. 26. 29. 30. 31. 32. 33. 34. *J. de r. d.*  
illam septem agnoscere species, nempe Specificationem,  
Adjunctionem, Inaëdificationem, Plantationem, Satio-  
nem, Scripturam & Picturam. Nostrum ergo erit, quo-  
modo in singulis probatio Dominii fieri possit, brevi-  
bus explicare. In Specificatione ergo aut forma materiae,  
aut materia formæ pravalet. Et illo casu ad obtinendum,  
seu retinendum potius Dominium sufficit probasse; cor-  
pus ad rudem materiam priorem reduci non posse, & Do-  
minus declarabitur, cuius factio res in rerum natura esse  
coepit per §. 25. *J. de r. d.* hoc vero probandum, speciem  
ad priorem rudem materiam reduci omnino posse & erit  
Dominus ac declarabitur pro Domino cuius est materia.  
*vid. L. 24. ff. de A. R. D. j. L. 78. §. 4. de leg. 3.*

## ¶. XI.

d) Adjunctione. Nec magis in adjunctione probatio Dominii erit  
difficilis. Non aliud enim hic requiritur ad probatio-  
nem Dominii, quam probatio solius adjunctionis fa-  
cti cum jam Dominus sit rei. Enim vero quaestio Do-

mi-

minii ipsius rei principalis moveri ipsi non poterit, cum jure potiori destituatur alter, atque sic ex principio Juris generali referre illam non possit.

§. XII.

Ratione inadificationis id erit probandum: <sup>f) Inadifica-</sup> lum ipsum nostrum esse, cui accedit factum, quod haec <sup>e)</sup> tione. vel illa machina illi sit superstracta. Hoc caret difficultate, illud ex titulo ad transferendum Dominium habili super quo instrumentum consecutum probabitur, de quo plenius infra & in Saxonia Electorali per ea, qua Cap. III. dicemus, omni caret difficultate; quo facto, sive ex aliena materia in solo meo adificaverim, Dominus declarabor adificii, sive aliis ex sua materia in meo fundo adificaverit, rursum probavi Dominium, neutrum puto difficultate est. fac. l. 7. §. 12. l. 28. de a. r. d. Quod si circa ipsos fines confusos lis incidat, quod evenire sapius scio, præjudiciale haec quaestio ante omnia exutienda est, ut in ff. 5 Cod. tit. fin. regund. speciatim truditur.

§. XIII.

Circa plantationem & sationem probatio Domini <sup>f) Plantatio-</sup> ni non itidem non difficilis & eadem ferme erit. Nempe <sup>ne</sup> nihil aliud probandum, quam factum plantationis & sationis, addi & illud: plantam & semen cum terra coaliſſe & radices egisse, ubi oculari interdum inspectio- ne opus est, uti e. g. si arbor vicini terram meam preſerit, wenn der Baum in meinen Grund und Boden Wurzel getrieben / Dominus sum arboris, so weit als die Wurzel herüber geben / qui, tradentibus hortulanis, accurate respondent cum radicibus. Reliqua dat §. præced.

§. XIV.

Accidit forsitan non facile, ut circa scripturam & picturam <sup>g) Scriptura</sup> quaestio Domini occurrat; quod si tamen occurreret, pro- <sup>g) & pictura</sup> batio Domini per juramentum in minimi pretii re fine du- bio poterit absolvī; nempe si queratur de scriptura, jurabit actor, chartam membranam ejus, vel quod idem est, se

Dominum esse; si vero de pictura, negante scilicet hoc tabula posse: auctorem, ceterum artificem pictura esse omnino autorem, & probavit utroque casu, quod intenderat actione, Dominium auctor.

## §. XV.

*h) Thesauri  
inventione.*

Thesauri inventor, si controversia ipsi moveatur, Dominium suum facile probabit, siquidem potest, suppositis terminis habilibus, se absque magicis artibus invenisse thesaurorum, sic enim totius thesauri declarabitur Dominus. L. 63. pr. & §. seq. de a. r. d. §. 39. J. de R. D. Vid. Conf. Elec. P. II. C. LIII.

## §. XVI.

*De modis de-  
rivativeis ad-  
quirendi do-  
minium, ubi  
de successione  
ab intestato.*

Modis quoque derivativis adquiri Dominium posse, diximus supra §. 2. Sunt illi ex doctrina Naturalis Juris DD. vel taciti vel expressi. An inter illos Successio ab intestato referenda, an vero haec inventum mere civile sit? anceps est quaestio, affirmativam aliis, aliis negativam, moti praeprimis successione collaterali strenue defendantibus. Nos affirmative accedimus, & successionem ab intestato materialiter, seu indefinite consideratam ad Jus Naturale hypotheticum referre, non dubitamus. Definite enim ad Jus utique Civile pertinet, quod dictamen tamen rationis saltim in plerisque retinuit. Communis namque est hominum inclinatio, & ad pacem tranquillitatemque inter homines servandam, utique conductit bona, quæ quis tanto cum labore, & sub sudore indefesso, quæ prima lex erat Creatoris, procul dubio in favorem familie sua quæsivit, neutiquam haberi pro derelictis, ut cuivis pateant occupanti post adquirentis mortem, sed si deficiat dispositio testamentaria, ad eos post fata devolvantur bona, quos ex communis hominum affectu carissimos habuisse, presumitur. Cui voluntatis conjectura ratio accedit: ne vitam humana sustinendi media illis, quos reliquit defunctus, proximis, & à quibus vel ipse originem habet, vel qui defuncto originem debent, certe sanguine ipsi proxime jun-

gun-

guntur, illibere subtrahantur. *Conf. Grot. L. 2. c. 7. §. 2. Pufendorff. L. 4. c. 2. Kestner c. 13. §. 9.*

§. XVII.

Jam si queritur de probatione dominii ex modo hoc derivativo quæsiti, naturale est, uti nemo, ita nec defunctum plus juris in suos transferre potuisse, quam ipse habuit, & probandum ergo, si quæstio desuper moveatur, quomodo dominium transierit ad defunctum; & siquidem in Saxon. Elect. quæstio occurrat, facile probabit dominium heres ex iis, quæ infra Cap. III. adducemus; si vero in loco, ubi Jus Civile viget quaratur, sufficiet ex instrumento super titulo ad transferendum dominium habili consecuto probasse, rem ita translata ad defunctum fuisse, sic enim ulteriori dominii probatione opus non erit, cum etiam ex longa possessione præsumatur dominium, ut inferius ostendimus; nec dominii quæstio moveri nisi ab eo possit qui potius jus habet. Certe in omnem eventum recurrendum heredi erit ad præscriptionem, ut si defunctus saltim in usucapiendi conditione fuerit constitutus, conjungendo tempora sua cum tempore possessionis defuncti, implevisse se ostendat, tempus usucaptionis præscriptum; modo & ipse sit maneatque tempore possessionis suæ in bona fide cum naturali ratione bona fides defuncti ipsi utilis esse nequeat, mala contra fides noceat, ut ut heres bonam fidem agnoverit unde etiam est quod simplex titulus pro herede nullo speciali titulo defuncti subinxus in Act. Publ. haud sufficiat, *vid. l. 62. de R. J. l. ult. C. pro hered.*

§. XVIII.

Usucaptionis, seu præscriptionis, ceu modi adquirendi dominium, quo omnium facillime hujus absolvitur prædictio injecimus mentionem. Curatius paullo circa eam vativ, præjam versabimur; est nempe usucatio seu præscriptio derivatus dominium adquirendi modus, scil. adjectio dominii per continuationem possessionis tempore lege definito prout habet *L. 3. ff. de Usucap.*

XIX.

Quid hic de  
domini pro-  
batione di-  
cendum.

De modo ad-  
quirendi deti-  
batio injecimus  
mentionem. Curatius  
paullo circa eam  
vativ, præ-  
scriptio de-

signatur  
tempore  
posse-  
sionis  
defun-  
cti.

## §. XIX.

Ejus funda-  
mentum.

Rémove  
positive

Respondetur  
ad objec-  
tiones.

As detur usa-  
capio inter  
gentes?

Affirmatur  
cum ratiogi-  
bus.

Circa fundamentum ipsius usucaptionis rursus non convenientiū Jur. Nat. DD. Grotius *de J. B. S. P. l. 2. c. 4.* in tacita derelictione prioris domini illud ponit. Enim vero nec hæc Viri Summi opinio omnem prorsus excludit dubitandi rationem, cum expressa domini repetitio tacitam illam excludat derelictionem ac proinde generaliter illud ex æquitate naturali & utilitate publicâ, pacis tranquillitatis generis humani, immo ex necessitate hypothetica, ne dominia rerum sint incerta; speciatim vero ex voluntate præsumata illius, qui, dum rem suam ab alio quiete posfideri patitur, consentire in usucaptionem videtur, quin potius consentire præsumitur, beviſter ex Voluntario Interpretativo deducimus.

## §. XX.

Æquitatem naturalem diximus jam esse fundamen-  
tum usucaptionis, & eam huic potissimum inniti ratiocinio  
putamus, quod longe gravius videatur, post diuturnam  
possessionem re bona fide parta, quam olim jam amissa  
privari, cuius desiderium dudum fuit digestum; & vero  
ipse Imperator in *Novell. 9. prefat.* impium illam vocat  
præsidium & improbab̄ temporis allegationem! Sed sal-  
va res est, nam respondet utique Juri Naturali Usucapio,  
quod ex dictis §. 19. liquet, & Imperator loc. alleg. non  
de omni in genere usucaptione loquitur, sed definite, de  
præscriptione nimirum bonorum ecclesiæ, spatio XXX.  
annorum hactenus absoluta; fraudem damnat, vana prout  
solc̄ superstitione agitatus.

## §. XXI.

An usucapio inter gentes locum habeat, anceps est, &  
agitata eo potissimum tempore quaſtio, cum Imperii No-  
stri Romano-Germanici Status superiori Seculo pro tuen-  
dis juribus suis adversus Gallos ad eam provocarent.  
Affirmantium nos accedimus numero, & præscriptio-  
nem immemoriam inter gentes quoque obtainere ac-  
rete, opponi flatuimus, non ideo tantum, quod ad-  
ductum

ductum §. 19. fundamentum ad gentes quoque applicari possit, & quod contradicatio sit, gentem in immemorialem præscriptionem consentire, & Dominum tamen manere velle; sed ideo potissimum, quod alioquin, deficiente scilicet inter gentes superiori seu judice communis, bellorum nullus foret finis & infesta semper arma plurimas dirimenter regiones. Repugnat vero id ipsum dictamini recta rationis, qua est Juris Gentium, vel si maius Juris Naturæ Gentibus applicati, norma. Ubique si non valeret inter gentes præscriptio, nullum regnum, nullum imperium certum haberet Dominum, cum nec vestitas, nec plurimum seculorum lapsus ad firmandum illud sufficeret.

## §. XXII.

Habiles tamen terminos & hic supponendos esse censimus. Fac enim ditionem hanc, vel illam jure belli iniusti ad gentem pervenisse, & præscriptionem locum non habere puto. Id multo magis obtinebit, si gens devicta incommodis belli eo sit redacta, ut repetere illas mediante bello nequeat, seu huc usque non potuerit.

## §. XXIII.

Usucaptionis requisita LL. civilibus, non naturalibus Requisita usu-determinationem suam debere in aprico est, ut illa tacaptionis ex men rationi & aequitati naturali omnino congruant. LL. Civil. Sunt illa, bona fides, iustus titulus, traditio & temporis lapsus.

## §. XXIV.

Bona fides regulariter & ab initio & in progressu præsumitur, ac proinde is, qui malam fidem objicit præscribenti, hanc probare debet ex regula generali, utique naturali, vi cuius affirmanti incumbit probatio fac. l. 10. C. de non num. pec. Vid. Gebbard, tr. de usucap. Cap. I. n. 30.

## §. XXV.

Et cum sermo nobis sit de bona fide, notamus singulare, quod in præscriptione actionum XXX. plurimum scriptio act. annorum non requiratur bona fides per L. 8. §. I. C. de non requiri- C præ- tur.

C

praescr. XXX. vel XL. annor. nec aliud Jure Canon. statutum sit c. f. X. de praescript. c. 3. de R. J. in Vito. tandem quod nec apud Saxones in Annalibus similibusque exceptionibus temporalibus Actionum praescriptionibus bona, vel mala fides hodienum attendatur, quod Praxis comprobat. Ceterum in Act. Publiciana bonam fidem non requiri, infra dicemus.

## §. XXVI.

Titulus.

Titulus justus esse debet i.e. habilis ad transferendum Dominium, qualis est emtionis vid. pr. J. de usucap. l. 4. C. de praescr. long. temp. ut error etiam ex probabili & justa causa veniens titulo non obfit per L. II. pr. emt. l. fin. §. 1. pr. suo. l. 48. de usucap. sufficiet etiam in iuribus praescribendis praesumptus titulus, in affirmativis nempe patientia, in negativis vero prohibitione bona sive facta inducetus, accedente scilicet prohibiti acquiescentia. Obiectum tituli quod attinet, novimus quasdam res vel ob generali inhabilitatem, de qua in L. 9. & L. 45. pr. de usurp. & usucap. vel ob speciales causas, fundatas aut in ipsius rei conditione, ut sunt res furtivæ & vi occupatae L. 4. §. 14. & 23. de usucap. L. 24. §. 1. eod. amota vel expilata L. penult. rer. amot. l. 68. de furt. l. 24. de usucap. ubi singularis dispositio habetur; quo pertinet ex mente Romana disponens L. 8. pr. ff. ad L. Jul. repet. vel ob favorem illorum, ad quos res pertinent, ut sunt res fisci, res Principis & fiscales, res Civitatis & hujus generis alia, de quibus specialia expondere nobis liberum non est.

## §. XXVII.

De reb. mera facultatis.

Res mere facultatis usucaptioni plane non esse obnoxias, tralatitudinem est, & ipsa earem natura prona fluit consequentia; nisi tamen accedat unius prohibitio & alterius acquiescentia, de quo posfit probari Vid. Carpz. P. 2. C. 4. def. q. n. II. immo vero si curatus rem ponderemus, hoc dicendum Carpzovio salvo aliorum judicio ne quidem potest, quod eo ipso non retineant indolem rerum mere facultatis; & ergo regula salva est, nec exceptionem patitur.

Notat. Carpz.

tur. Cum vero proxime am 26. April. 1726. publicata fuerit sententia, in causa, bey denen Hochgräfl. Gerichten zu Schköhlen in Sachen der Gemeinde zu Schorgula, Kl. eines Jacob Dechenden, Bell. anders Theils, ubi except. rei mere facultatis potissimum opposueram, dum causa rei mihi defendenda erat, lobet hic & ipsam sententiam, & rationem decidendi, ut Practici vocant Extractum, inserere, verba sententiae sunt: &c. &c.

Daf Kl. dasjenige, so ihm zu erweisen auferleget, und er sich angemessen, wie Recht nicht erwiesen, derowegen Bell. von der wider ihn erhobenen Klage zu entbinden und los zu zehlen, Kl. auch denselben die auf diesen Proces gewandte Unkosten, nach vorhergehender Liquidation und Richterl. Ermäßigung, abzustatten schuldig.

Rat. Decid.

Ob wohl Kl. auf eine possels vel quasi des Juris cogendi nach der Reihe zu schenken, oder das Bier bey einem, welcher den Bier-Schank in Dorffe Schorgula hat, einzulegen, und ausschencken zu lassen, libelliret, Bell. auch die angegebenen facta, daf er die Reihe mit dem Schank nicht halten wolle, sondern denselben beständig vor sich exercire, auch bey andern sein Bier nicht einlege, bey der Litis Contestation fol. 80. sq. zus gestanden se. ic.

Demnach aber und dieweil Bell. ein eignes Brau-Haus hat test. 1. 2. ad art. 7. test. ad art. 9. fol. 167. b. und wieder die natürliche Freyheit kein Jus prohibendi ausgeführt, noch Kl. so viel, daf die Unkosten compensiret werden mögen, vor sich gehabt, so ist, wie im Urtheil enthalten, von uns billig erkandt, Sign. Leipzig den 20. Martii 1726.

Ordinarius Senior und andere Doctor  
res der Juristen Facultät in der Uni-  
versität Leipzig.

§. XXVIII.

Hæc alias forsitan nota, boni tantum ordinis causa Probatio ipsa attigimus. Jam ex ipsis usucaptionis requisitis, qua va-

C 2 tione

tione praescribens Domini probationem adire debeat, ostendemus. Bonam fidem probandam non esse, sed regulariter praesumti dictum supra §. 23. Jam probatio tituli difficultate non laborat; Sufficit enim per articulos probatoriales induxisse instrumentum, quod titulum continet; quodsi deficiat instrumentum, licebit procul dubio aliis uti probandi mediis, testibus, juramenti delatione, pro ratione circumstantiarum.

## §. XXIX.

*Probatio traditionis; Error circa ipsam traditionem refellitor.*

Venio ad Traditionem; & puto illos, qui eam intermodos adquirendi Dominium derivativos referunt, modum conferendi Dominium ab actu in translatione Domini interveniente ab invicem non distinguere. Transit Dominium naturaliter & sine traditione solo consensu, ut ipse contractus de transferendo Dominio nonnisi mutuam voluntatem rite declaratam desiderat; certe si ad retinendum Dominium actu corporali, quo quis rei assiduo velut incumbit, opus haud est, cur ad acquisitionem actus corporalis esset necessarius, cum ratio diversitatis dari nulla possit. Ipsa sane LL. Romanarum dispositione immediate quandoque sine traditione Dominium transfertur, prout habet L. 68. ff. de Leg. 2. L. 2. ff. quand. ex sueto tut. L. 8. C. de R. V. L. 26. de R. C. C. fixum c. 12. qv. 4. L. 55. de donat. int. vir. & uxor. de quo infra sigillatim, pertinet tamen ad Prudentiam Nomotheticam, ut certiora magis sint reruni Domina, nudæ huic pactioni effectum Dominii detrahere, & ut immobilium praesertim Dominium nonnisi subsecuta traditione in alterum transeat statuere, quod vult L. 20. C. de pac. sic saluberrima sunt LL. Saxonicae, quæ resignationem judicalem in alienationibus immobilium requirunt, & ante illam Dominium non transferri volunt, quo de argumento infra Cap. III. plura dicemus. Est vero facti Traditione, & a praescribe Domini probatione; at difficultate caret hæc probatio; quod si enim in instrumento super titulo confessio traditionis subsecuta non injecta sit mentio, quod cavendum tamen erat, testibus, qui dicere solum

solum modo possunt, prascribentem jam per tot annos posseidisse rem, opus est, & ex hoc traditio naturaliter præsumetur. Sane cum tituli ad transferendum Dominium habiles multi sint consensuales, traditio, deficiente instrumento ita, ut modo diximus, venit probanda, in Saxonia Elect. per Decis. Nov. 61. de qua Cap. III. omnia haec cessant.

§. XXX.

Suā, ex dictis, fluit sponte, quamvis res ex conventione debeatur, ante tamen quām traditio accelerit, do-  
minum ejus penes venditorem remanere atque adeo in traditionem  
tertium novum emittorem intervenientem, cui statim post  
contractum tradita est, dominium validē transferri, salvā  
tamen adversus alienantem actione ad interesse, qualia  
negotia in Praxi sāpiūs evenire scio, & mihi quoque ob-  
lata esse recordor.

§. XXXI.

Non praterero hīc singulare illud à LL. Roman. intro-  
ductum, ut quamvis per L. 20. C. de pacē. traditio ad domi-  
nium transferendum sit necessaria, quām dispositionem  
ceu indifferentem rationi naturali non repugnare certum  
est; quamvis etiam tradita licet ex causa venditionis re,  
non transferatur tamen dominium, nisi pretium sit solu-  
tum, vel fides de pretio expresse habita per §. 41. J. de R. D.  
res tamen nihilo feciūs pereat emitori, quia scilicet vendi-  
tor est sp̄eciei debitor vid. l. 5. §. fin. de rescind. vendit. ex  
quo consequitur, pretium teneri solvere emtorem, re li-  
cet venditā casū ante traditionem peremptā Tot. Tit. peric.  
& commod. rei vend. dura quidem videtur hāc Jur. Rom.  
dispositio; attamen injustitia ideo non protinus arguen-  
da; interim dicta egregium in praxi habent usum, de quo  
argumento infra forsitan plura.

§. XXXII.

Revertemur ad tramitem, unde paullo discessimus, at-  
que ultimum quod supereft prescriptionis requisitum in poris lapus.  
fe & intuitu probationis examinamus, ex Jur. Naturali-

C 3 Civili

Civili & Saxonico quadam putamus non inutilia monentes. Nec vero temporis lapsus Jure Naturæ est definitus, nisi quod ad præscriptionem inter gentes tempus immemoriale requiri supra diximus, cuius nempe initiū non extat memoria l. 33. cum Autb. C. da SS. Ecclef. Legislatoris humani est, ut certi termini prout ratio & utilitas civitatis suggerit, definiantur, intra quos usucapio tam intuitu mobilium, quam immobilia debet compleri. Ita LL. Rom. triennium in mobilibus, in immobilibus, vero inter praefentes decennium, inter absentes vicennium; ceterum in præscribendis rebus fiscalibus, patrimonialibus Principis, bonis civitatis, Ecclesiarum & aliorum piorum locorum iisive immobilibus tempus XL. annorum confituisse per J. de usucap. l. fin. C. de fund. patrim. l. 9. de usucap. Autb. quas actiones C. de SS. Ecclef. Nov. 131. c. VI. Serenissimus Legislator Saxo res quidem immobiles, jura & actiones XXXI. ann. 6. septim. & 3. diebus binnen 30. Jahren, Jahr und Tag, mobiles vero anno Saxonico præscribi voluit, fac. Landz. R. l. art. 28. 29. it. l. II. art. 44. j. Lehnz. R. c. 16. salva ceteroquin tam immemoriali, quam XL. annor. præscriptione in casibus supra notatis Vid. Conf. Elecl. P. II. const. 5. Gebhard. de præscript. c. IV. n. 13. salvis etiam temporalibus illis præscriptionibus, de quibus plura addere, cum jam dum excrescat prater mentein Dissertatio nostra, non luet, sed Vid. Tit. ff. de divers. tempor. præscript. Jam hisce suppositis queritur, quod maxime intendebamus, de Probatione. Et temporis lapsus facili negotio probabit actor, dominum se declarari intendens. Junget enim antecedorum tempora cum terminis sua possessionis & vel ex instrumento super titulo confecto, vel per testes probabit, se cum antecessoribus suis pertempus lege definitum, posse sedisse.

## §. XXXIII.

*Transficio.* Atque sic vidimus, facilem admodum probandi dominii modum per præscriptionem, & sigillatim spectavimus probationem eorum omnium, qua ut præscriptio recte facta

sacta dici possit, probanda sunt. Enim vero cum praeſcrip-  
tio vel vera sit, vel ficta, uti dominium vel verum vel  
fictum seu quasi dominium eſt, de hoc etiam, & facillimo  
illud probandi modo quædam in medium ſumus prola-  
turi.

§. XXXIV.  
Vocula quaſi impropriatis in iure character eſt, no- Quaſi domi-  
tans aliquid fictione iuris pro tali haberij, quod re ipsa, ſeu nium,  
quoad naturam tale non eſt. Describimus quaſi domi-  
nium per ius in re corporali à non domino tradita, à no-  
bis tamen bona fide & juſto titulo quæſitā & poſſeſſia, quo  
propria nobis eſte fingitur.

§. XXXV.  
Est quaſi dominium vel Verum, vel Putativum; illud Dividetur  
veram, hoc falſam habet cauſam, ſi quis nempe putet, ſe b. f. & juſto titulo dominium rei adquisiviffe, quod revera non adquifivit hoc propriè tale non eſte, facile patet; nec etiam prodeſt ad uſuacationem, niſi juſtus & probabilis error fit, aut in facto alieno erratum, quod vult L. II. pro emto. L. ult. §. I. pro ſuo. vid. Linck. in uſ. jurid. Syncategor. Quaſi tb. 22. interim Prator, ut cum Alteſſi. de fict. jur. Tr. I. c. 3. loquar, fictionem utplurimum in regnum Romanum introduxit, dupliſi modo fingit dominium, vel poſitive §. 4. J. de aſt. vel negatiue §. 3. seq. Inſt. eod. ut proinde dominium rurſus in poſitivum & negatiuum diſpēſcamus. Du- An Jur. Nat.  
plicem hanc fictionem Jur. Nat. contrariari non puto, contrarietur  
cum hojuſis diſtamine iniquum potius ſit, quem uſuca- Prator, fictio?  
piendi conditione conſtitutum, amiffā re, non habere a- tib. etiam ſcī  
ctionem pro ea recuperandā, Hahn. ad Paratit. ff. Weſenbec.  
de Publ. in rem aſt. n. 2. in mō verò aquuum & rationi conſo-  
num eſt, ut abſentia laudabilis & neceſſaria alicui in reti-  
nendo rei dominio non noceat, atque ſic reſcindatur im-  
pedimentum, quod actori obſtabat vindicanti.

§. XXXVI.  
Nempe duas parit Actiones Pratorias fictum hoc, Actiones  
quod diximus ſeu quaſi dominium. Prima eſt Publiciana in

in rem Actio, qua is qui à non domino b. f. & justo titulo rem accepit, agit adversus infirmiori jure possidentem ad id, ut pro domino vel quasi declaretur & res in specie restituatur. §. 4. J. de Aet. l. 1. de Publ. in rem act. long bulli

S. XXXVII.

Explicatur  
Publiciana,

Patet ex dictis, eam vero domino non dari; hic enim rei vindicationem habet; cumulari tamen usū fori Publiciana cum rei vindicatione & res ex dominio vel quasi peti solet, quod usus fori comprobat, fac. Cap. 3. de re judic. in Vto. liquet etiam; eam contra verum dominum non dari, aut eum, qui justo titulo possidet, nisi titulum tamē habeat tantum procuratum, ut si quis metuens Publicianam, curet dicis causa rem sibi ab amico vendi, quod notat Bachov. de Aet. Disp. 3. tb. 21. aut exceptio dominii per replicam possit elidi L. 29. de noxal. act. L. 72. de R. V. sed datur contra eum, qui mala fide tenet, vel bona quidem fide, sed qui jus novius ab eodem, vel alio non domino habet; in genere qui aut nullo aut certe infirmiori jure, quamquod actor habet, rem possidet; sic etiam b. f. emitor à fure causam habens, Actione Publiciana tenetur per L. 9. §. pen. de Publ. in rem Aet. datur & contra heredem, qui legatum aut fideicommissum debet exsolvere arg. l. 7. c. 3. dict. tir. datur tandem contra donatarium, Harprecht. ad §. 4. J. de Aet. n. 22. sicuti & contra eum qui liti se oblitus, vel dolo desit possidere aliosve, quod ex generalibus juris regulis satis superque notum.

S. XXXVIII.

Dē mala fide  
superveniens  
te.

An mala fides superveniens Actionem Publicianam excludat, quaritur? Evidem in Cap. ult. X. de præscript. constitutum est, ut toto usucaptionis tempore bona fides adsit; & ratio legis procul dubio posita est in favore veri Domini, quæ cum in Publiciana cesset, & ipsam dispositionem cessare, naturale est, illa enim non nisi ei accommodatur, qui plus juris in re habet, quam professor reus conventus. Sic ergo Jur. Canon. dispositio ceu Juris correctori, & à LL. Romanis exorbitantis ad Publicianam exten-

extendenda non est. Certe majorem longe hæc mere-  
tur favorem, quam usucatio, quippe quæ ius veri Domini-  
ni excludit, cui cum Publiciana res plane nulla est. *Vid.*  
*Gail. L. 1. obs. 62. Schneidow. ad §. 4. J. de Act. Struv. Exerc. ad*  
*ff. II. tb. 44.*

## §. XXXIX.

Ergo, qui Act. Publicana experitur in judicio Domini-  
nium suum vel quasi & fundamentum Actionis ita satis  
probabit, si ostendat, rem ex justo titulo i. e. habili ad  
transferendum Dominium ipsi esse traditam eandemque  
rursus amissam. Bona fides enim regulariter præsumitur,  
uti jam supra monuimus. Sed & illud probandum: pos-  
sessorem reum infirmiori jure possidere, quod vel ita sit,  
ut prober eum vel ex nullo titulo, justo rem, sed pro pos-  
sessore tantum possidere, vel habere quidem titulum, sed  
ab eodem, vel alio non Domino, atque ita infirmius rei jus  
satis videbitur ostendisse. Cavendum tamen prudenti  
Actori, ut hic quoque per articulos elisivos emergentes  
forsan exceptiones alias, quoad fieri potest, pro casuum  
diversitate gnaviter elidat.

## XL.

Secunda Actio quæ ex Dominio facta, & negative  
quidem tali descendit est Rescissoria seu quali Publiciana, *Quasi Publi-  
ciana remissio-  
ve.*  
quæ est realis Prætoria, competens illi, cuius res ob absen-  
tiam justam & necessariam usucpta est, adversus quem-  
cunque illius possessorem, ad rem vere usucaptam, tan-  
quam non usucaptam restituendam. Satis plura circa hanc  
Actionem erant monenda; Sed enim vero tempus mo-  
net iterumque monet, ut brevitatè studeamus, negotiis  
quidem Practicis a labore hoc nostro perpetuo nos avo-  
cantibus; sufficiat ergo remissive ad §. 5. *J. de Act. L. 26. §.  
fin. 5 L. 28. pr. ff. ex quib. caus. major. L. 21. §. 1. eod. & quod*  
ad rei absentiam quamcunque attinet, ad L. 2. *C. de Annal.*  
*Except.*

## §. XLI.

Offert se jam nobis alia probatio Dominiū haud diffici-  
lis. *Probatio Do-*  
*D.*

minii in vin-  
dicatione rei  
venditæ cuius  
pretium non  
solutum.

*Expositio  
Protestantioris*

*de contrab. emt. vendit.*

*L. 19. ff. de contrab. emt. vendit.*

*jungimus & hoc*

*quod ne-*

*tum quidem Dominum per traditionem transferatur, si*

*vendor ad fidem de pretio habendam dolo emtoris tue-*

*rit inductus, ideo nempe, quia emtor dominium ex do-*

*lo suo, quod ob beneficium vendori datum, alias non*

*habebat, acquirere non potest, L. 155. pr. de R. J. L. 14. §.*

*3. ff. de furt. & quia deceptus vendori errat, adeoque fi-*

*dem de precio revera non habet, cum error naturali ra-*

*tione excludat voluntatem. Fluit ergo ex dictis atque in-*

*dubitatum est, quod vendor jure dominii rem ex Con-*

*cursu possit vindicare fac. L. 5. §. 18. 19. de tribut. aet. hoc*

*dubio omni caret in Saxon. Elect. si resignatio judicialis,*

*de qua Cap. III. agemus, nondum facta sit, & Juris Civ.*

*dispositio in genere ibi probata nobis videtur, cum con-*

*trarium non sit statutum; faciunt hoc verba ord. nov. rev.*

*Proc. Sax. ad Tit. XLII. pr.*

*Wenn in des Schuldners Verlaß-*

*senschaft sich solche Sachen in natura finden, welche andern ei-*

*genthümlich zufehen ic, ic, ubi exemplificative loquitur Poten-*

*tissimus Legislator Saxo, sind si billig von der Massa Con-*

*cursus zu separiren, und denen Eigenthümern abzufolgen. Jam*

*probatio dominii hoc casu in eo absolvetur, si judicij*

*fidem faciat vendor ex situatione rei, vel per testes, vel*

*per instrumentum, hanc ipsam rem à se ex causa emitic-*

*nis venditionis debitori traditam quidem, sed nec pre-*

*mium solutum, nec alio modo satisfactum, nec fidem de*

*pretio habitam esse; quatio namque dominii & exacta*

*eius probatio nec moveri nec exigi hic à vindicante po-*

*terit, cum debitor communis causam a vindicante ha-*

*beat. En ergo probationem dominii non difficilem! cum*

*posteriora quidem probationis membra sint negativa,*

*quaæ*

quæ onus probandi in adversarium regulariter devolvunt, quod in Saxon. Elect. si resignatio judicialis facta non sit, dubio omni careret, cum ante illam venditor præsumptionem pro se habeat, pretium solutum nondum esse, &c. Cautus ceteroquin & hic sit vindicans, ut si sciat fidem quidem de pretio habitam, se tamen dolo emtoris inductum esse, vel replicam flatim includat libello, quod ut fiat, omnino expedit, vel articulos elisivos eo prudenter dirigat, ut per argumenta potissimum *intervix*, sed & pro ratione circumstantiarum *attenua* ostendat: emtorem dominium verum consecutum non esse; in Saxon. Elect. sufficiet probasse, rei dominium judicialiter resignatum non esse, quodsi vero & ibi dolo inductus fuerit ad fidem de precio habendam venditor, ut omnino poterit pro adstruendo suo dominio argumentis. Juris communis circa probationem fac. *præter text. j. alleg. l. 134. s. f. ff. de R. J. Brunnem. ad L. 3. de Pign. Ael. Marquard. de Jur. merc. L. 2. c. 2. n. 16. Müller ad Struv. §. 31. de dolo malo.* Sic causa Patronus Doctrinam suam & prudentiam judici, clienti fidelitatem satis probabit.

## §. XLII.

An per præsumptiones quoque probari dominium possit, quaritur, & utique dubitari admodum poterat. Sed haber omnino L. 15. C. de R. V. in f. ex longiori possessione præsumti dominium & proprietatem. *Vid. Wesenbec. Vol. 1. Conf. 21. n. 68.* siquidem & possessio talis justa & cum bona fide conjuncta præsumitur arg. L. fin. C. de R. V. *Me noch. de præsumt. LVI. præf. 69.* immo in casibus fortuitis, imprimis si exceptio dominii relata jus tertii sapiat, præsumtionibus absolvit illius probationem recte, statuit Horn. Clas. V. resp. VIII. in verb. alldieweil aber in dergl. Unglücks-Gäßen die probatio dominii auch per præsumptiones geschehen kan, und in gegenwärtigem casu daher, weil der Schloß-Garten nicht weit unter des Rath's Rechen und Holz-Anger gelegen, wohl zu vermuthen, daß von dem auf besagten Anger ausgesezt gewesenen Holz der Anger ausgefüllt worden. DD. ad L. adeo 7.

D 2

§. 3.

§. 3. ff. de R. V. Hiernecht die Frage, ob gedachte Hölder jemand sonst gebret, jus tertii betr. und dahero Klägern nicht sūglich bey dieser Bewandtnis aufgeworfen werden w. Nempe vi fluminis importata erant in hortum ligna, & quærebaratur; an dominis tollere ea & auferre licitum fuerit. Habes ergo probationem dominii rursusnon difficilem.

§. XLIII.

Occurrent in  
Act. Negat.  
dominiū pro-  
batio.

In mentem venit Actio Negotioria, in qua dominii quastionem sapius, immo si reus cautus sit, semper occurrere novimus; atque hic ex sola fundi possessione præsumi dominium constat. Quod si quis hic non probationem dominii ~~habeat~~, sed demonstrationem tantum occurrere velit, de verbis cum ipso non litigabimus, dummodo in re i. e. in statu controversia conveniamus, quem ita formamus: an quæstio dominii mota probationem temper habeat difficillimam; jam sive principaliter de domino, sive incidenter saltem agatur, nobis perinde est.

§. XLIV.

Dominii re-  
vocabilis, seu  
quiescentis in  
fundo dotali  
probatio.

Venio ad aliam dominii probationem non difficilem. Constat & indubitate planè juris est, dominium fundi dotalis semper quidem in maritum, sed nonnisi revocabili ter, idque regulariter, transire, si seilicet nullo precio adjecto, res fuerit translata aut æstimatio addita, quidem sed taxationis tantum gratia, ut constat nempe, casu ita eveniente, quantum intuitu deteriorationum ac damnorum in fundo datorum præstari oporteat. Accidit sape, & mihi quoque in Praxi jam oblati casus, ut, soluto matrimonio, controversia desuper hinc inde oriatur, mox creditoribus mariti rem dotalem æstimato, venditionis ergo, mox foemina ejusvè heredibus, quibus cum marito illiusque heredibus res est, taxationis saltim gratiæ æstimationem factam esse, strenue contendentibus, & illo casu probatio dominii, marito quæsti facillima erit, siquidem Curator litis per instrumentum, vel per testes, qui actui intervenere, probet, maritum loco certa quantitatis in dotem promissa, fundum traditum

acce-

accepisse: Dass sich der Schwieger-Bater erkläret, er wolle dem Schwieger-Sohne statt der versprochenen 500. Gülden Acker Geld ic. hiermit abgetreten und übergeben haben, cum ita dominium irrevocabile transferit in maritum L. 10. §. 6. ff. de usur. L. 5. § 10. C. eod. hoc vero casu faciliter itidem negotio erit probandum, hanc ipsam, quæ pertinet, rem eam esse, quæ titulo dotis, vel nulla plane, vel nudæ tantum taxationis causâ estimatione additâ marito fuit tradita. Prior quæstio in eo etiam præstabat usum, si tertius jam possideat rem dotalē, cum per alleg. modo leges libera alienandi facultas in maritum fuerit translata atque jure, sic alienata satis enim & sufficienter probabit tertius Dominum, si prober dicta; immo vero moveri hic plane quæstio dominii ac referri non poterit, cum sive uxor, sive heredes ejus vindicare fundum velint, exceptione utili rei venditæ & traditæ possint repellere; applicari hæc exceptio non minus poterit, si uxor vindicet rem dotalē ex Concurso, vel si res dotalis estimatio venditionis gratia merito tradatur, resignatione judiciali in Saxon. Elect. opus omnino esse puto, vid. interim O. P. S. rev. loc. supra cit. verb. ingleichen was seinem Eheweibe und seinen Kindern gehöret.

## §. XLV.

Occasione verborum: und seinen Kindern addimus paucissimis, si quis ad secunda vota transferit, liberi prioris matrimonii bona materna jure dominii vindicent, quod his Concurso super bonis paternis moto, sufficiat probasse: hanc ipsam rem, quæ vindicatur à matre vindicantium, aut illius parentibus vel affirmatione plane non, vel taxationis tantum gratia adjecta esse translatam; Et prius exceptio utilis rei venditæ & traditæ hic etiam recte applicatus ita Pacta dotalia, quæ regulariter adsunt & instrumentum redigi solent, totum hoc negotium conficiunt, si vero testes intervenere negotio, quod regulariter levavit, ipsi de vera contrahentium intentione deponent; Jam si fundus dotalis plane inestimato marito tradita, res du-

bio caret, & per probationem traditionis fundi, ex causa  
dotis marito inaſtimato facta, liberi dominium satis vide-  
buntur probasse.

## §. XLVI.

Singulare no-  
tat: in A&N-  
gat.

Supra §. 42. feci mentionem Actionis Negotioriaꝝ at-  
que ostendi in ea dominium ex sola possessione præsumi.  
Jam non præsumtum, sed verum largimur actori domi-  
nium, si fundum in quo jus aliquod prætendimus, ex con-  
tractu retrovenditionis possideri ab actore rei fateamur.  
Enim vero paſtum de rotrovendendo ipsam dominii trans-  
lationem non impedit, quin vendor potius, cui pretium  
solutum, vel qui fidem habuit, tradendo rem omni ſe  
proprietate abdicasse, & ſic dominium in actorem deri-  
vare, intelligitur L. 2. C. de paſt. int. emt. & vendit. comp.

## §. XLVII.

Probatio do-  
minii pecunia  
pupillari qua-  
ſiti.

Singulare eſt, & inter privilegia pertinet pupillaria, cum in singularibus res regulariter non ſuccedat in locum  
precii, quod tutor tamen ex pecunia pupillari fundum e-  
mens, licet ſuo nomine emerit, non ſibi, ſed pupillo domi-  
nium acquirat; præſumunt namqne jura ex favore pu-  
pillorum, tutorem in utilitatem & comodum pupilli  
emifſe, ac rei vindicationem pupillo inde competere vo-  
lunt, L. 2. L. 8. §. 1. de reb. eor. qui ſub tut. vel cur. L. 3. c. de  
arbitr. tut. L. 2. ff. qu. ex facto tut. vel Curat.

## §. XLVIII.

Explicatur  
L. 2. ff. pand.  
ex fact. Tut.  
vel Curat.

Allegavimus modo L. 2. ff. quand. ex facto tut. vel Curat.  
notabilis lex & opera pretium eſt, ut aliquantis per ei in  
hæreamus. Nempe duos habet caſus à ſe invicem diſtin-  
ctos; primum quidem, ſi tutor vel curator pecunia ejus  
cuius negotia admiſtrat, mutua data ipſe stipulatus fue-  
rit; ſecundum vero ſi idem tutor vel curator prædia in  
nomen ſuum emerit. Utroque caſu pupillum aque ac  
minorem, & in genere alios, qui proper morbum vel  
physicum vel moralem in cura conſtituti ſunt, ſubintelli-  
gi ex idenditate rationis tralatitium eſt, uti dubio omni caret  
dominium rerum emtarum, & mutui contractus ceu rei  
incor-

incorporalis pupillo minori vel qui alias in cura est, ex immediata legis dispositione adquiri, quia rei vindicatio tam directa quam utilis dominium supponit, & dum illa in d. l. detur, & hoc concedi necesse sit. Est vero dominium istud in sensu vero & proprio non pro hypotheca accipiendo; quamvis enim in L. 7. ff. qui pot. in pign. pupillis in rebus ex numinis ipsorum comparatis pignus datum idque ad casus specialissimos inventiatur relatum; non tamen absconum nobis à Juris analogia videtur, duo vel plura remedia ad eundem finem tendentia, suo modo alicui concedere, scilicet ut eligere debeat, quo uti velit fac. l. 8. C. de R. V. ut proinde utilem etiam rei vindicationem pro rea vindicatione, quaꝝ nꝫ' i᷇ꝫ' actio in rem appellatur in l. 1. C. Commun de leg. non pro hypothecaria accipiendam esse, & nonnisi ideo utilem vocari statuamus, quam quod præter regulas juris communes fuerit concessa. Neque tamen si alius quam tutor curatore emerit, vel mutuo dederit, dominium pupillo personisque ei similibus adquiri & rei vindicationem largiri putamus, eo quod d. l. tutoris curatorisve solius faciat mentionem, & ceu jus singulare & a regulis juris admodum exorbitans strictissime sit interpretanda & regulariter in singularibus non succedat res in locum preci.

## §. XLIX.

Sed quæritur, quomodo probatio dominii hic absol-  
vatur? & difficilis illa possit videri, ideo quod demon-  
strandum sit: hanc ipsam esse rem, quaꝝ pecunia pupillari  
emta, & cuius dominium pupillo ita quæsumum. Sed fac-  
tutorem pupilli debitum judicialiter exigisse, atque solu-  
tionem etiam factam in judicio esse, siquidem cavendum  
est debitori, ne periculum solutionis iterata incurrat, ut  
judicialiter solvat & judiciale accipiat quietantiam. Jam  
porro fac oblatam tum statim occasionem esse in judicio  
ementi fundum, & emtionem venditionem celebratam  
precium etiam solutum esse. Fac tandem tutorem acce-  
denti ad ipsum amico, dixisse, hanc, quam ostendit pecu-  
niā

Agit de pro-  
batione domi-  
ni ex l. c. 2. ff.  
quand. ex  
fa. tūt. vel  
Curat.

niam esse pupillarem N. N. & se emisse hunc vel illum fundum ex illa ; fac denique venditorem accipere pecuniam praesente amico , sed tutorem tamen suo nomine emere ; Probabit sane dominium ex pecunia sua quasitum aliquando pupillus vindicans , si per testes qui negotio dicto intervenere , & amicum illum dictas offendenter circumstantias , & pro domino indubitate declarabitur , tales vero similesve casus evenire posse , vix est ut quis dubitet , Praxi id in rarioribus comprobante .

§. L.

De aliis dominiis legi quasitum immedia te & probatio ne remissive , ubi Brunnem , not.

De re emta ex pecunia militis , & quasito hinc ipsi dominio agit L. 8. C. de R. V. Extendit Brunnem in Comment. ad illam l. 8. hanc juris dispositionem non modo ad res pecunia Ecclesiae emitas , sed & generaliter satis ad res pecunia aliorum , ab administratoribus v. c. civitatis emitas . Putamus hoc minus recte fieri , ut adeo calculum non addamus magno huic JCto , nec moveamur Doctorum , quos in partes suas vocat , turba , pragnanti illa quam sub finem §. 46. adduximus suffulti ratione ; & vero privilegium Ecclesiae non per extensionem Jur. Civ. ob paritatem rationis , cum nec major ratio tacente lege ex regulis interpretandi ipsa ratione comprobatis extensivam hic fieri interpretationem permittat , sed ex c. fixum c. 12. qu. 4. vindicamus . Ceterum si de probatione queratur , suo modo & hic applicanda sunt , quæ §. 43. & 47. ad facilitandam probationem adduximus ; specialia addi possent , sed temporis penuria quo minus id fiat , prohibet .

§. LI.

De dominio rerum propter nuptias donatarum.

De dominio uxoris in bonis propter nuptias donatis an aliquod sita jure pignoris mulieri dato diversam queritur ? affirmamus quæstionem ob L. 29. C. de jur. dot. ubi uxori in casu redacti ad inopiam mariti rerum pariter ante vel quod idem est , propter nuptias donatarum atque dotalium vindicatio conceditur ; immò in Nov. 97. c. 16. §. 1. verbis rursus expressis datam legitur uxoribus , ut etiam

all.

antenuptialis donationis res vindicare etiam constante matrimonio possint, & posteriori periculo omni liberari; quæ tamen verba soluti matrimonii casum non excludere putamus quia Imperator in Nov. LVI. c. I. §. I. ita dicit: Non enim videntur nobis immoderate fecisse quidam nostrorum judicum, qui etiam ipsam in rem actionem mulieribus post matrimonii transactionem in sponfality largitate dederunt, quod recte inchoatum deinde à posteris judicibus quasi pro supervacanea quadam subtilitate contemptum est. Habent ergo uxores dominium rerum propter nuptias donatarum, verum quidem & jure pignoris pinguis atque ab hoc plane diversum, sed nec plenum, nec illimitatum. Probatio ejus fit ex instrumentis dotalibus, per testes qui sciunt donationem qua facti est, qua juris ex L. cit. 29. C. de jur. dot. & Nov. 61. c. I. §. I. Et nulla ratione difficultis esse potest.

## §. LII.

Poteramus quadam adhuc addere de dominio rerum pecunia dotali à marito emtarum, & illo uxoribus immediata legis dispositione quasita, de quo habet L. 55. ff. de donat. int. vir. & uxor. sed cum hanc ipsam legem peculari L. Lectione simus explicaturi, supersedemus merito labore, Vid. interim L. 54. de jur. dot. l. 75. j. L. 10. §. I. eod. l. 29. 30. Cod. eod. quas leges tum simul explicabimus, atque cum L. 12. C. de jur. dot. & l. ult. Cod. de serv. pingui. dat. manum. concilium excitabimusque l. 22. §. ult. sol. matrim. Jam si quaratur hic de probatione dominii, de qua itidem dicimus in lectione nostra, addere alia, quam quæ §. 43. Et 47. adduximus, vix nisi inter differendum possumus.

De dominio  
uxorum in re-  
bus pecunia  
dotali emis-

## §. LIII.

Rei legata dominium, dummodo res testatoris sit pro- Probatio do-  
pria non aliena, a tempore mortis testatoris per legis minima rei le-  
dispositionem immediate transire, nec ullum traditionis, gate,  
aut apprehensionis corporalis actum requiri, constat ex  
L. 80. ff. de Leg. 2. L. 62. ff. de furt. Fac ergo Concursum mo-  
tum

tum esse & heredem solvendo non existere. Vindicabit procul dubio legatarius rem legatam prona satis, nec difficultate, nihil quidem probando, quam defunctum rem ipsam hanc quam petit possedit ipse legatus. Dico posse, non Dominum tuisse; nam heres causam haber a defuncto, nec adeo questionem dominii cum effectu movere; jam si legatario cum herede debitore, si cum Creditoribus legatario sit res perinde erit.

§. LIV.

## Transitio.

Sisto cursum, utut multa adhuc, nec ingrata forsitan nec inutilia supersunt monenda, cum & tempus & ipsa etiam Dissertationis forma ut rumpamus jam atque ad specialissima progrediamur, moneat.

## CAP. III.

HABET SPECIALISSIMA DE PROBATIONE  
DOMINII, IN ELECT. SAXON. HAVD

## DIFFICILI

## S. I.

Casus specialis  
adducitur &  
explicatur.

**D**E ipsa dominii probatione etiam ex principiis civilibus non difficile diximus Cap. praecl. & omnia in Saxonia etiam Electorali quatenus non specialiter mutata quaerantur reperiuntur, posunt applicari, sed enim vero supersunt Specialissima & Sax. Elect. propria, paucis jam a nobis explicanda. Ipsam hisce meditationibus nostris & toti Dissertationi conscribenda quod in Proemio diximus, occasionem prabuit casus, me Patrono in dem Hochgräfl. Hornischen Umte Droßig in Sachen Gottfried Hendrichs zu Grosshelmsdorff Kl. an einen, Christoph Deuschern daselbst Welt. anders Zeheis gestus, & ad finem hoc anno non ita pridem feliciter perduciet. Nempe institerat Actor, cuius partes tuebar Rei Vindicationem, wegen eines gewissen Stück Holzes, quod commune nomen Hans Pohlens Holz à pristino possefore habebat, in übrigen aus zwey Stücken, dem Busch-Holze und dem Haasen-Berge

Berge bestund. Fundabat se Cliens in dominio per emisionem venditionem & accedentem ei resignationem judiciale quasito; Actionem ergo instituebat Rei Vindictoriā. Probationem absolvebat per instrumentum judiciale nemlich den zwischen der Becherischen Witte und Kinder Verkäffern an einem und Gottfried Hendrichen am andern Theil, v.r dem Hochgräf. Amte Droyßig am 14. Sept. 1699 errichteten Kauff & per literas investituræ de dato Droyßig den 2. Decembr. 1699. Cum deuentum ad procedendum super probationibus esset, id ad ravim usque contendebat reus, actorem Dominium suum non probasse, & se eo magis esse absolvendum, quod actor Rei Vindicationem cum Publiciana non cumulaverit, quo facto ab exacta Dominii probatione nempe à probatione dominij autoris, quam requirunt LL. Romana, liber esse non videbatur, cum favori suo petendo rem ex jure dominii, cum ex quasi dominii petere potuisset, plane renunciaverit; insuper Actori ideo deferebatur juramentum, quod non solus ao. 1699. emerit fundum quæstionis, sed simul cum eo autor rei; Dabat actor hoc reo atque largiebatur, hunc utique pecuniam ipsi dedisse ad emendum, & post celebratam emitionem venditionem jus lignandi pro parte diuidia illi concessisse. Nec enim vel poterat vel volebat Cliens jurare, cum juramentum ipsi defusper erat delatum. Accedebat & hoc, quod reo judicialiter fuerat resignatum fundi quæstionis dominium, quem vindicabat Actor; & investitus idem sub dato Droyßig den 28. Jan. 1710. Enim vero pondus sat grave hæc rei argumenta seu exceptiones peremptoria videbantur habere, quas omni studio omnique industria magna sub specie proposuerat im Productiūnē Verfahren justitia ille sacerdos, qui causam rei agebat; Ast elidi tamen quicquid erat feliciter ad effectum sententia definitiva ex voto securæ, Adstruendo nempe (1) dominium satis esse probatum durch den indirciten Gerichtl. Kauff. und Lehn. Brief sub ○○ & ○○ atque sic opus plane non fuisse ad Actionem Publicianam hic recur.

- recurrere, & Actionem ad dominium vel quasi dirigere.
- 2) (2) Si vel maxime autor rei tempore emtionis ea intentione, ut actor emere posset, dederit die Helfste oder auch nur einen Theil des Kauff-Geldes, rem tamen in singularibus non succedere in locum precii, sed hoc nonnisi creditum esse, ab heredibus ejus peculiari actione ex mutuo repetendam; sufficere, daß Kl. Zuhalts des denen Gräf. Droyß. Gerichten vorgetragenen Kauffs das Busch-Holz und den Haasen-Berg von der Becherischen Witwe und Kindern Gerichtl. adeoque sub resignatione judiciali, cum acces-  
rit investitura von 2. Decembr. 1699. richtig erkauft. (3) Jus lignandi precario tantum suisse concessum, quod perpetuo revocabile, eo magis morte socri, qui erat Hans Hauck, Kl. Schwieger und Welt. Stiefs-Dater, sit sublatum.
  - 4) (4) Licet reo quoque dominium judicialiter fuerit resignatum, id tamen ab eo, qui dominium ipse non ha-  
bebat, vid. rat. 2. esse factum; immo vero (5) actori do-  
minium jam anno 1699. judicialiter resignatum esse, cum  
id intuitu rei nonnisi anno 1710. & ab eo quidem, qui au-  
tor actoris non erat, factum sit, & licet fuerit, habere  
tamen emitorem, cui dominium prius resignatum & res-  
quoque tradita ius indubitate potius; atque sic (6) fa-  
ctum judicis resignationem judicialem ejusdem rei, cuius  
dominium resignatum jam ante erat, semel adhuc fieri a  
non domino permittentis, immo novum emitorem de-  
nuo investientis Clienti ceu factum tertii præjudicare non  
posse; & publicata fuit am. Aug. 1725. sententia sequens:
  - 5) Auf Klage Antwort xc x. Dieweil Kl. durch das Docu-  
ment sub ① fol. 77. seq. so viel, daß er bereits den 14.  
Sept. 1699. beyde libellirte Grund-Stücken so wohl das  
Busch-Holz, als den Haasen-Berg legitime erkauft, er  
auch darauf den 2. Decembr. 1699, mit beiden erwähnten  
Grund-Stücken zu Droyßig beliehen worden, dargethan,  
folglich die Beleihung, so von eben diesen Droyßiger Ge-  
richten lange darnach ao. 1710. an Welt. Christoph Zew-  
schen fol. 100. geschehen, vor zu Recht beständig nicht ge-  
achtet

achtet werden kan; so hat besagter Kläger dasjenige, so ihm zu beschneiden aufgelegen / und er sich angemessen, zur Abtheilung beybracht, derowegen er auch von dem Grund-Stücke der Haasen-Berg genannt, vor den Eigenthümer zu erklären, und Beklagter ihm das daraus weggenommene Holz &c. &c. von Rechts wegen.

Churfürstl. Sächs. Schöppen  
zu Leipzig.

quaer interposita a reo Leuteratione confirmata est ab Am-

plissima Facult. Vitembergenfi, de publ. cm 25. Febr. 1726.

§. II.

Ex ipsa sententia definitiva facile patet, omnem ferme, certe potiorem decidendi rationem positam in eo esse, quod actori dominium fundi questionis legitime adeoque judicialiter resignatum atque ille investitus fuerit, & hinc dominium suum satis probaverit, quo quidem spectant verba sententia alleg. derowegen er auch von dem Grunds Stücke, der Haasen-Berg genannt, vor den Eigenthümer zu erklären. Sic non errabimus, si in Saxonia Elect. resignationem judicialem & subsecutam investituram facillimum dicamus esse modum probandi dominium; nec ergo abs re erit de resignatione hac judiciali, probato in Saxonia transferendi dominium medio, curatus paulo differere, & huc spectantia, quantum per tempus lictum erit, sigillatum exponere.

§. III.

Est igitur resignatione judicialis, die Gerichtl. Vericht und Auflassung actus judicialis, quo rei immobilis dominium dicalis quidam ita in emtorem transfertur, ut vendor dominio & juri suo coram judge competente i. e. eo, sub cuius jurisdictione res sita est, legitime renuncians dominium, accepte investitura, in accipientem transfert.

§. IV.

Fundamentum resignationis in Saxonia Electorali quidam est Dec. Elect. Noviss. 61. quaer prostat in Corpore Autum.

E 3

gufca

gusteo Part. I. pag. 324. & p. 325. Sed non obtinet in Electoratu tantum Saxonico, sed & in Batavia art. 37. Ord. Pol. illius Provincie, quam citat Vinn. ad §. 41. J. de R. D. n. 4. in Germania multis locis Conf. Hartm. Pijlor. obs. sing. 230. n. 1. Dan. Moller. ad Conf. Elec. 23. P. I. n. 16. ibique relat. Zobelius in addition. ad art. 9. lit. A.

## §. V.

Divisio.

Dividi non incongrue posset in Necessariam & Voluntariam; illam juris necessitas imponit, ut si pignus legitime constitutum jam sit distrahendum, vel adit res judicata, & jam ad Executionem adeoque ad subhaftationem sit deuentum; hanc vero ex libera alienantis voluntate fieri, tralatitium est; aliam etiam resignationem puram; aliam conditionatam esse, vix est ut dubitet qui ipsa rerum tractat argументa, illa ex termino liquet; haec facta intelligitur quoties conditionis, causae vel modi injecta mentio & dominium non transterrur, usque dum pacto ab emtore satisfactum: Wenn nach erfolgter gänglichen Bezahlung der Kauf-Summe Verkäufer zur Lehn-Ausschaffung und Verzichts-Leistung sich verbunden, quo pertiner pactum Dominii reservativum fac. L. ult. Cod. de Pacz. int. emt. & vend.

## §. VI.

An resignatio  
necessaria, si  
sub hasta præ-  
diū vendi-  
tum.

Fecimus §. præd. mentionem Resignationis Necessaria; Cujus non immemores quarimus: an resignatio judicialis etiam necessaria sit, si sub hasta prædiū venditum? Et certum est, cum Serenissimus Legislator Saxon inter bona allodialia & feudalia, emphytevica illa & censitica, ea itidem qua proprio motu, & qua sub hasta venduntur, non distinxerit, nec nostrum esse distinguere, ac proinde resignationem judicalem & in bonis sub hasta venditis sive allodialia sint, sive feudalia, necessariam esse, & dominium in emtorem non transferri, bis der vorige Besitzer seiner gehabten Lehn resigniret, und dieselbe gebührend ausschaffen, oder nach vorhergehender, eine gewöhnl. Frist in sich

sich haltende sub præjudicio eingerichteten Ladung jene vor aufz-  
gelassen rechtskräftig erkannt worden, sic. C. 4. Clem. 3. n. 19. sq.  
Philipp. de subhaft. c. 4. comm. 3. n. 25. sq.

## §. VII.

In Saxonia nostra, quod ad resignationem judicia- De Vasallo  
lem attinet, inter bona feudalia, emphyteutica atque cen- Feloniam ad  
sitica nihil interesse, supra monuimus, & testem citamus  
Richter. de Jur. & privil. Cred. c. 2. membr. 1. n. 57. sic ergo  
resignatione nondum facta nec Vasallus transfert domi-  
nium in emtorem, enim vero anceps satis est quaestio: an  
Feloniam admisericit Vasallus, qui irrequisito Domini con-  
fensu vendidit quidem, sed nondum resignavit? Arridet  
nobis sententia Magni illius JCTi Struvii in Synt. J. F. c. 13.  
a. g. n. 6. tres distingventis probe casus; aut enim 1) Vasal- Cal. 1.  
lus feudum alienans tradidit quidem feudum, sed eo ani-  
mo, ut velit domino id resignare, quo emtor seu Vasal-  
lus novus de eo investitur, & cum Dominus haud con-  
temnatur, nec pura & perfecta emto venditio subsit,  
quin conditionalis potius ac mere suspensiva, feudo ob  
solam traditionem extrajudicalem nondum secuta neces-  
saria illa ad transferendum dominium resignatione, quam  
requirit etiam in feudalibus bonis d. Constat. 61. privari  
utique feudo Vasallus non poterit, cui sententiæ tesseram  
suam addit Hartm. Pistor. vbs. 230. add. apb. 12. late, aut 2) Va- Cal. 2.  
fallus consensu Domini susque deque habito feudum qua  
feudum vendidit & tradidit, sic Feloniam commissiam esse,  
certum est, ubi allegamus verba Hartm. Pistor. d. j. l. apb. 34.  
qui, nequaquam inficias imus, inquit, casum evenire posse, ut  
quis feudo suo propter alienationem etiam in Germania privetur,  
si tam imprudenter rem gerat, ut statim omne jus feudi nullo peni-  
tus reservato in emtorem transferat, & in eo neque resignationis  
der Ausfluss/ neque feudi des Lebns/ mentionem faciat, ne-  
que ea de necessitate requiri existimet, multo minus coram domino  
fieri cogitet, Carpov. P. II. c. 49. def. 13. aut 3) initio quidem Cal. 3.  
habuit istum animum, resignavit tamen postea feudum  
do-

domino, & ut alter ab eo investiatur, petiit, sed dominus resignationem acceptare, & alterum investire recusavit; & interest, utrum Vasallus revocet plene alienationem, non reservato domini consensu, b*s* q*u* Lehnher*t*. Consens factam, & jam resignaverit juste domino; ne locus privationi non erit, desamto nempe argumento à majori ad minus & ita subducto ratiocinio: si licet Vasallo alienatum absque domini consensu feudum ad evitandam privationis pœnam repetere, multo magis Vasallo Saxonico ante resignationem pœnitere domino legitime resignare & pœnam privationis eo licebit evitare, atqui &c. ergo &c. aut tandem post Domini disensem & recusationem nihilominus pertinaciter insistit alienationi, & Vasallum Feloniam tunc admittere, nemo credo, negabit. arg. II. feud. 24. verb. quia Dominium contempnere videtur.

## §. VIII.

An emphyteutis omitta  
Denuntiatio-  
ne, amittatur  
ante resigna-  
tionem.

Quid de Emphyteuta, venditionem Domino prius quam fiat illa non denunciante, ad quod tamen sub præjudicio juris amittendi obligatus erat, per L. fin. C. de Jur. Emphyt. dicendum sit, queritur? & rationem dubitandi Carpzovii quaestionem præjudicialem moventis: an hæc Lex alleg. in Saxonia obtineat? & ob necessariam rerum immobilium resignationem, in negativam declinantis insufficientem plane putamus vid. inter. Carpzov. P. II. Conf. XXXVIII. def. 13. sed de ipsa re queritur: an privatiam Actionem cum effectu instituere possit Dominus Emphyteuseos, si Emphyteuta vendidit quidem, sed judicialiter nondum resignavit Dominium. Enim vero solius venditionis in d. l. 3. si mentio, & in Saxonia etiam ante resignationem perfectam esse venditionem supra monimus; sed puto tamen, cum odiosa semper sint restrin- genda magis, quam extendenda, Jure suo non cadere Emphyteutam, si ante resignationem judicialem atque consummatam sic venditionem denunciaverit Domino vid. que habet Tiruquell. de Retr. Gentil. §. 1. gl. 2. n. 45. apud Batavos

tavos extra speciale conventionem, aut contrariam consuetudinem passim usu servari, ut emphyteuta jus suum vendere etiam irrevocabile domino possit, ex Decis. Cur. Holland. §9. & Grot. 2. Introd. XL. tradit Vtum. ad §. 3. J. Loc. Cond. n. 16.

## §. IX.

Resignationem judicialem ambitu suo complecti etiam Investituram judicialem nostra jam habet definitio, & habent ipsa Decis. Nov. LXI. verba: und er hinwiederum damit belehnet werde; curabit ergo cautus emitor: Dass ihm die Lehn nicht allein aufgelassen, sondern er auch mit dem erkaufsten Grund-Stück hinwiederum so fort beschenkt werde, cum varia accidere possint, quæ negotium deinceps facientur, prout exemplo est causus noster supra §. i. huj. cap. prolixe allatus; Sic enim demum plenum in eum transit dominium, add. Carpzov. L. 1. Rp. CII. n. 12. & L. V. Rp. XLI. n. 6.

Cautela.

## §. X.

De periculo & commido rei vendita Cap. II. quæ Ad quem antdam monuimus, quæ ad Jus tantum Civ. Rom. spectant. In Saxonia queritur: ad quem ante resignationem judicialem periculum rei vendita & commodum pertineat? Ratio dubitandi esse poterat hæc, quod ante resignationem judicialem dominium non transcat, & vero res pereat suo domino. Sed enim cum per Jura Saxonica & dictam Nov. Dec. LXI. Juris communis, quam diximus, dispositioni derogatum, & speciale quid sanctum non sit, standum utique illi putamus, ita ut perfecta emtione per consensus in rem & pretium, purum illum, nec sub conditio- ne suspensum, dominio licet judicialiter nondum resignato, periculum rei vendita spectet ad emtorem L. 27. de V. O. Nempe stat & in Saxonia ratio Juris Civil. haud siculnea: quod species debeatur & perfecta emtio perfectione essentiæ sit dicenda, re licet nondum tradita, nec, quod singula- lare Saxonibus est, resignatione judiciali subsæcuta. Excipi-

F.

mus

**Exc. I.**

- mus casus I.) si venditoris dolus, lata & levis culpa ad causum ordinata præcesserit vid. §. 3. *J. de emt. vend. L. 5.* §. 2.  
 2. *Commod.* II) si mora venditoris intervenerit, & res vendita post moram perierit *L. 4. L. ult. C. de peric. S. commod. rei vend.* III) si res ex vitio præcedenti i. e. quo res ante venditionem laboravit, perierit. Sic enim damnum rei peremta, utut emtio fuerit perfecta, pertinebit ad venditorem; ita animal intra triduum à tempore contractæ venditionis mortuum præsumitirex vitio præcedenti periisse, atque tum onus probandi Negativam in adverfarium rejicitur.

Quid in re-  
trovendicio-  
nis pacto?

**§. XI.**

Obvium sepe est in Emtione Venditione addi huic solitum Retrovenditionis paclum. Hoc vel ita adjici sollet, ut quandocunque liceat redimere, vel præscribitur facultati redimendi certum tempus. Ponitur autem, vel ut terminus à quo, vel ut terminus ad quem. Priori quidem casu juri redimendi ex principiis cumprimis Jur. Canon. nullo præscribitur tempore *Vid. Virg. Pingizer. quest. Sax. XL.* posteriori vero & si terminus a quo placuit, expressus per verba: auf 10. Jahr wiederkäuflich elapsis demum 10. annis facultas redimendi initium caput, nec ante exerceri potest; si vero de termino ad quem inter pacientes convenerit in verb: daß dem Verkäufer und Wiederkäufer freustehen solle, binnen 10. Jahren die verkauften Stücke zu reliuere, indubitatum est, ius retrovendendi quoconque tempore, durante nempe decennio posse exerceri, hoc vero elapso integrum non esse redimere *Maul. de emt. vend. Tit. VII. n. 22. seq.* Fac jam certum relutionis tempus contractui esse adjectum, quaritur: à quoniam tempore illud currat, an ab eo, quo venditio fuit perfecta, an vero à resignatione judiciali? & credo à tempore perfectæ per consensum in rem & precium venditionis terminum reliuandi currere, neque resignationem expectandam salvo aliud sentientium judicio. Faciunt huc quæ supra §. 10. adduximus.

**§. XII.**

## §. XII.

Motam novi quaſtioneſem circa Dec. Nov. LXI. an immobilium rerum dominium ante promulgatam à Serenissimo Legislatore Saxone decisionem sit translatum, ut resignatio judicialis facta non fuerit, an vero dominium non transierit, ita ut quaſtio dominii hodieque emitoribus moveri poſſit? Sed vana eſt & supervacanea hæc diſquithio, argumentis pro & contra ductis à non nullis instituta. Cum enim alleg. Dec. Nov. jam de dato Drefden den 22. Jun. 1661. cum aliis fit promulgata, utique dominium, si resignatione judiciali non translatum, ſaltim erit praefcriptum. Immo vero Serenissimum Legislatorem Saxonem, uti regulariter lex futuris tantum negotiis normam praefribit, illis tantum dominiis, quæ transferenda deinceps erant, normam praefribere voluisse, cum alias maxima dominiorum incertitudo foret extitua atque litium fecunda materia hinc oriunda, docent certo certius ipſa Decisionis verba:

Das hinführ̄o eine extra judicial Übergabe und Einräumung eines unbeweglichen Stück GUTHS nicht vor gnugsam gehalten werden folle.

## §. XIII.

Sic colophonem addimus licet ſuperfint multa, quæ Libri censu-utiliter adhuc materia utilis ſuppeditabat monenda. Li-les non ne-bros quoque censu-ales die Erb-Zins- und andere Register gligendi. multum ad probationem dominii facere, verbo monemus curatus vero & magis prolixe dicenda ulteriori discussione, ſi per tempus aliquando liceat, re-fervamus.

F I N I S.

## ERRATA,

qua ob festinationem maximam irrepserunt, cum haec  
signa ipsa distinguentia & leviora illa non permittat  
cendiare potissimum sunt haec:

Pag. 7. lin. 3. pro naturale lege; naturalias ead. pag. lin. 31. omittatur; potissimum; pag. 9. lin. 11. pro maner l. maneat; pag. 10. lin. 31. pro vere l. vere; pag. 11. lin. 26. pro s. 20. f. de L. D. I. s. 20. f. di R. D. eod. pag. lin. 32. pro ullus l. illius s. pag. 12. lin. 16. addat. verbo dictum sit: s. 8. & 9. pag. 13. lin. 22. verb. addi & illud adiiciendum: potest; pag. 14. lin. 6. verb. siquidem addatur; probare; pag. 14. lin. 16. pro affirmative l. affirmative; pag. 23. pro ad eos post fata devoluntur bona; l. ad eos post fata devolvi; pag. 17. l. 9. pro ubique utique; ead. pag. lin. 12. pro plurimum l. plurimotum; pag. 18. lin. 25. post verba: & hujus generis alia; omisum est: prescribi non posse; ead. pag. lin. 28. lege: & ex ipsa earum natura; pag. 19. l. 11. l. 7. pro rationem l. rationum; pag. 21. lin. 1. verb. solum omittendum erat; p. 23. l. 19. lego: interim Prator, qui &c. ib. l. 25. lege: quem in uscipiendo &c. pag. 25. lin. 30. pro remissive l. reinississe; pag. 28. lin. 2. verba diebant esse posita: und daher von Kl. nicht füglich bin dieser Be- wandsniss aufgeworfen werden mag &c. ibid. l. 12. pro constat l. constet; pag. 29. lin. 17. à verb. & tradire possint repelli: usque ad alleg. O. P. S. rev. Ita lege: applicari haec exceptio non minus poterit; si uxor vindicet rem dora- lem ex Concurfu, vel si res ad massam Concurfus vindicetur. Ceterum si res dotalis estimatio venditionis gratia marito tradater, resignatione judiciali in Sax. Elect. opus omnino esse puto; &c. ead. pag. lin. 26. transferit: adde: &: pag. 32. lin. 27. pro diversam l. diversum; ead. p. lin. 32. pro datain l. datum; pag. 33. l. 1. etiam omitti debebat; ibid. lin. 13. vel per testes; ibid. lin. 21. addatur; Lectione Academica in Auditorio Majori Collegii Majoris proximo & ultimo die Maii solenni ritu habenda; ibid. lin. 27. loco s. 43. & 47. est s. 44. 49. & 51. ibid. lin. 28. ponatur: vix nisi inter differendum singularia nonnulla possumus; pag. 34. lin. 7. movere adde: potest; ead. lin. omittatur: legatario; pag. 35. lin. 6. pro Verkäuffen: Verkäuffere; ead. pag. lin. 15. pro non videbatur lege: nequeat; & utique favori suo &c.; ib. lin. 17. plane renunciaverit lege: re- nunciasse videbatur; ead. pag. lin. 27. lege: & quod invenit idem fuerit; ibid. lin. utr. omitt. Actionem; pag. 38. lin. 28. pro &, lege: etiam.

vendicio sui personae summa & dignitatem iudicari  
& credo a tempore perfida per consensum in rem &  
precium venditionis. (O) n. 25. endi currere, neque  
resignationem expectare. talvo. alio. semientum ad-  
dictio. Faciunt hoc qua (O) n. 10. adduximus.

S. XII.


Erfurt, Diss., 1725-26

ULB Halle  
005 367 786

3



vD18





Pri. 7. num. 20. 1726, 1 20

14 DISSESSATIO INAVGVRALIS JVRIDICA  
DE PROBATIONE  
DOMINII  
PRÆSERTIM IN SAXONIA ELECT.  
HAVD DIFFICILI.

QVAM  
MAGNIFICO RECTORE UNIVERSITATIS  
AC PRO-CANCELLARIO,  
REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,  
DOMINO  
CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GVDENVS, J. V. D.  
DENOMINATO CONFIRMATO ET PROXIME CONSECRANDO SVFRAGANEO  
ERFORDIENSI ET EPISCOPO ANEMORIENSI, INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV.  
CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC CELSSIS. PRINC. ELECT. MO-  
GVNT. CONSIL. ECCLESIAST. ET REL.  
EX DECRETO AVTORITATE ET SINGVLARI INDVLTV  
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS.  
IN PERANTIQA ATQVE CELEBERRIMA ACADEMIA  
ERFORDIENSI  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE CAPESSENDI  
DIE XXXI. MAJIA. R. S. M DCC XXVI.  
HORIS LOCOQVE CONSVENTIS  
IN PVBLICO ERVDITORVM CONSESSV  
DEFENDET  
AVTOR  
**GEORG AVGVSTVS DATHE,**  
Leucopetr. Mish.  
ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

KÖNIGFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALIE

*Dr. Georg Augustus Dathe  
1726*